

Hilse Anng: W. Pms.

L2. Be

15

ELEGANS  
**CLEMENS I.**  
primo seculo bonarum in

ecclesia literarum assertor, primus Thracum & Scytharum in Chersoneso Taurica ad Pontum Euxinum Trajano Cæsare episcopus, martyr.

Cujus mira ab obitu fata, ab Ephraimo Chersonis Archiepiscopo ænigmatibus & symbolis nitide descripta,

*humaniorum literarum ope*  
illustravit

A. MDCCXIX, mense Octobri

**HERMANNUS von der Gardt/**

Academiæ Juliæ Senior  
& Præpos. Mariab.

---

*Helmstadt,*

Typis SALOMONIS SCHNORRIL

ANNO MDCCXIX.

(II.)

n. 15

*Clementis I. mira ab obitu fata, ænigmatibus & symbolis ab Ephraimo Chersonesi Archiepiscopo concinne descripta, bonarum literarum ope illustrata.*

**E** Legans nobis audit *Clemens I. martyr*, de cujus decreto pro bonarum literarum studiis differuimus novissime; qui non solum nervosam illam ad Judæos conversos Roma Hierosolymam scripsisse fertur epistolam, multa doctrina refertam, sed & in eadem epistola humaniorum studiorum causam egit serio & prudenter, docenti in ecclesia bonas literas esse necessarias asseverans. Dememinisse hujus Clementis non possumus, grati posteris, ex gentibus conversi, vel ob illa humaniorum liberaliumque artium studia his graviter commendata, qui scripturæ legendæ ac rei christianæ docendæ operam navare teneantur: Qui simul folide docuit, non esse traditionibus & commentationibus locum temere concedendum, sed scripturam a traditionibus immixtam esse servandam, Eleganter & vere hæc a Clemente dicta sunt, tamen in epistola, ut hodie est, vocula videri queat latinis auribus asperior. Stylus sane nexusve rerum, pro judicii bonitate & ingenii rectitudine non inconcinnus. Nos gratias defuncto agimus, illius consilio humanioribus disciplinis constanter addicti.

Libet ergo ex historia Clementis incredibile quoddam ostentum tam cari martyris, in gratiam peritorum recensere, quod hodiernum in perpetuam posteritatis memoriam in ejus monumentis in ænigmatibus & symbolis conservatur. Longa autem traditio, autoritate primum eminente Archiepiscopi Chersonis aut Chersonesi, Ephraimi, munita, dein tot longis seculis, jam ultra mille & sexcentos annos cantata & conservata, quæro, num mira illa Clementis fata roboret, nobis que illorum fidem injungat? Quæro ex attento quocunque viro, num illud ex tantæ autoritatis traditione immensum externum portentum credat, probet, & suo prope calculo confirmet? Si negat, ego affirmo; si affirmat, ego nego, sine ullo contradicendi animo, solo veritatis studio, justa sua ratione.

Ut autem judicare possint & alii, quibus non vacat vetusta Clementis hujus, ut feruntur, Opera inspicere, referemus partim ex libro

bro *Martyrii Clementis*, f. 809. partim ex *Ephraimi Archi Episcopi Chersonis* opusculo, de *Miraculo martyris Clementis* f. 812. seqq. Imperatoris Trajani mandato fertur Clemens Roma relegatus ultra Pontum & Chersonem in desertam urbem, in Chersoneso Taurica, ubi alii christianorum milleni exules marmora caderent. Conversas per Clementem esse vicinarum Scythicarum gentium plures. Trajano id cum displiceret, iussisse, vel clementem ad idolis sacrificandum compellere vel e medio tollere. Factum hoc esse, illo in medium mare deducto, ancora de collo illius suspenfa, eoque in profundum projecto. Christianos spectatores martyrium deplorasse. Interea orasse quosdam Clementis discipulos deum, communi populi ore in preces soluto, martyris hujus reliquias monstraret deus! Recessisse mox mare in sinum suum ad tria fere millia. Populum in fundo velut arido ingressum reperisse paratum a deo habitaculum figura templi marmorei. Ibiq; in tumulo faxeo positum fuisse corpus clementis, ancoram, qua in fundum illum pertraxisset, in latere illius jacente. Insimul discipulis illis Clementis fuisse revelatum, ne illum tumulum faxeum cum clemente tollerent: audito oraculo, singulis annis die certaminis aut martyrii mare recessurum per septem dies, & venientibus ficcam in mare viam prabiturum. Idque dein evenisse, omnibus vicinis populis conversis.

Primum hoc miraculi momentum ex ipso Ephraimo, illius loci, urbis Chersonesi aut Chersonis Archi Episcopo, audire oportebit, graecis ob compendia hic missis, versione idem tantisper profante: *Cum veneratione dignissimum corpus sanctissimi martyris clementis in profundum maris ab impijs illis idololatrijs projectum esset, illudque excepsisset templum in profundo a deo edificatum, hic quoque maximum edidit miraculum deus admirabilium. Hoc enim factum, cum discipuli ejus una cum fidelibus, qui illic erant, lamentarentur, & ut sanctissimas gloriosissimi Clementis reliquias eis ostenderet, quod & factum est, deum supplices rogarent: Proinus immensum illud pelagus desistens ac retrocedens effecit, ut ipsum etiam profundum a pijs adiri posset, usque ad tria milliaria. Itaque ingressi invenerunt domum, figura templi marmorei: Et illic in capsula lapidea repositum martyris corpus sanctissimum & gloriosum. Quod cum e profundo vellent tollere, noctu illic se sistens sanctus, ita edixit: Corpus quidem nolite tollere: Hanc autem vobis concedo gratiam, ut singulis annis die certaminis mei per septem dies recedens mare, pedestre iter per aridum ad hunc usque locum praperet. Et*

*sermo opere completus est. Ab eo siquidem tempore, inque in hodiernum diem, singulis annis magnum hoc miraculum operante deo perficitur.*

Sed altera majoris miraculi pars est in puero, qui per integrum annum in fundo maris in hoc marmoreo templo a Clemente salvus in fluctibus perpetuis sit servatus, donec anno verso vivus & incolumi emergeret. Longa nimis hæc miraculi recensio apud Ephraim ArchiEpiscopum, unde nos sententiam referemus: Cum primum pelagus fecederet, marmoreo templo & in illo Clementis loculo cum reliquiis a Cherfonis civibus & vicinis spectando, inter alios pium virum cum uxore & puerulo in fundum maris properasse illud inauditum miraculum spectatum; templum illud marmoreum ingressos, pro filio illo apud Clementem intercessisse, pro vita ejus longæva & fortuna prospera. Parentibus insciis & non animadvertentibus puerum in arca illa apud Clementem aut reliquias ejus mansisse, parentes vero, cura filii posthabita, rediisse. Mari dein iterum clauso & undis repleto, de filio circumspexisse, eumque undis absorptum credidisse ac flebiliter deplorasse. Redeunte memoria Clementis anniversaria dieque festo, illos mari iterum scisso eodem percurrisse, sancti reliquias iterum visitatum & de filio ante annum ibidem amisso consultatum. Cum ad templum illud marmoreum venissent in maris fundo, illos filium invenisse vivum letum & exultantem, miraculi immmani argumento. Puerum a parentibus interrogatum, quomodo in undis tamdiu servatus esset, a quo custoditus & nutritus? Puerum, manu arcam tenendo dixisse: *Hic mihi post deum & vita & alimentum, & adversus marinas belluas propugnaculum fuit, hic me quotidie splendidissime nutrit.* Parentes præ gaudio in devotas ad deum preces fuisse solutos.

Hoc in Clementis martyrio miraculum tantopere extollit Ephraimus ArchiEpiscopus, ut longissime illud præferat miraculo Moysi, qui baculo mare fiderit, populo salvo tranante, ut & Elise, qui Jordanem seculit pallio: utrumque id semel tantum fecisse, tramite in mari & flumine facto: Sed hoc miraculum Clementis multo esse excellentius, quod quotannis per septem dies redeat cum stupore. Hoc miraculum Clementis superare Eliæ, Elisæ, & Petri miracula, qui mortuos fuscitarint, sed jam jam defunctos; Puerum hunc per integrum annum in fundo maris servatum esse a Clemente vivum, nec non a bellis marinis tutum.

Quid obsecro, ArchiEpiscopo loci Ephraimo respondendum? Fefellit suos & posteros? an revera ista incredibilis eventus miracula reapte

❁ ❁ ❁     5     ❁ ❁ ❁

reapse ita edita? Quam vellem pronunciaret vir quisquam sacer, Clementis patronus aut discipulus. Si dixerit vera illa fuisse *miracula*, reapse ita divinitus edita, *in mari, in templo marmoreo, in loculo saxeo, in reliquiis Clementis, in sifione maris quotannis septem diebus redeunte, in puero, toto anno in fundo maris apud Clementem in templo illo marmoreo cum fuisse servatum, vivumque anno redeunte ad parentes rediisse*. Si inquam affirmaverit, physice hæc omnia ita evenisse, sensibus obvia: Ego intrepide negaverim, *stylum & illius ævi inter omnes gentes attendens, & plane aliud quid significari dixerim*. Si negaverit, tam portentosa miracula physicis tantis actibus foras proprie ita evenisse, rogaverim impense, *aperiat, quid Ephraïmus illis significaverit?* Nec enim profecto Archiepiscopum, virum religiosissimum, fraudis accusare fas fuerit. Et nihilominus *negare, vere edita esse ista stupenda miracula, pugnat cum auctoritate traditionis & consensu in hunc usque diem, cum nemo exstiterit, qui vel verbo moneret, quid sub illis miraculis clementis lateret*. Intemerata ergo *traditio longa*, cui refragari nefas in tali miraculo, imperat fidem habere factis illis externis prodigiosissimis. Quid hic fecerit vir sacer, Clementis amicus, fautor & defensor? Si inquam affirmet cuncta illa miracula reapse ita evenisse, negaverim intrepide, multis rationibus, & ex ipso Ephraïmo & seculi illius ore. Si neget *miracula* illa, ego affirmaverim pari fiducia, sed suo modo, congruo, *ad Ephraïmi Archiepiscopi scopum atque intentionem*.

Qui plane non diffido Ephraïmo illi, viro, ut ex omnibus pellucet, integerrimo, non in superstitionem vel prono vel alios vocaturo, *stylum illius considerandum existimo, qui & mentem detegat & miraculi indolem aperiat*: Quomodo sine externo illo miraculi conspectu *miracula* designavit omnino *prægrandia, & humanum caput longe exsuperantia*, quin sua ratione *miraculis Moïsis, Elia, Elisa*, quidni longe superiora aut excellentiora, ut non male asseverat Ephraïmus. Horumque interpretes ipse nobis Ephraïmus eodem miraculi libello.

*Anniversaria* fuit *clementis memoria*, ait Ephraïmus, nos *festum* diceremus, quando Clementis in ecclesiam studia, merita, cum sanguine pro illa fuso, sunt celebrata publice. *Illo semper dies miraculis illis sacer*. Quod præcipuum, *doctrina Evangelica Clementis tunc est palam repetita*, inculcata & confirmata. Inter facta Clementis eminet præ omnibus *converso innumerarum gentium ab idolis ad fidem christianam*, pro qua martyrium subierit. *Doctrina Clementis earum ab*

obitu ejus virium, ut *gentium conversio mirabili successu cresceret in-  
dis*, integris gentibus ad Christi fidem accedentibus. Hæc Clemen-  
tis religio & christiana doctrina, ejusdemque inter gentes pro conversione  
*vis admirabilis*, cuius memoria quotannis certis horis, vel septem die-  
rum festo, solenniter celebrata, *effigiata* ab Ephraimo *imaginibus* hi-  
sæe dulcibus & admirandis. Facta Clementis vera, dum viveret ab  
ipso confecta, descripta appositis his symbolis, & blandis tecta æ-  
nigmatibus aut parabolis. Noluit Ephraimus, illa in Clementis fu-  
nere & corpore reapse ita evenisse, quasi in sensus incurrerint, sed  
*simulacra* dedit rerum *præstantissimarum a Clemente editarum*, quarum  
fructus etiam post mortem se proderet admirandus & vere mira-  
culosus. *Enigmatica tota illa oratio Ephraimi*, symbolica, & parabolica,  
imaginibus referta. Martyrium non examinamus, sed haud dif-  
ficulter admittimus. Quæ martyris obitum in locis illis finitimis,  
inter Scythas & barbaros, consecuta sint, *pro doctrina illius*, quam in  
vivi tradiderat, *ingenti fructu*, depingit vivide, ac per elegantia & in  
admirationem scite ac ingeniose composita symbola delineat lucu-  
lenter, & *stylo* quidem *veteri orbi universo grato ac familiari*. *Oriens*  
inprimis, cum vicinis ex omni plaga gentibus, *delectatus talismodi*  
*effigibus & parabolis*, quibus res vividius ac penetrantius commen-  
daretur quam apertis verbis. Verba aures oculosque prætervolant  
momento, *imagines* memoriæ inhærent indelebili nota. Quo di-  
cendi ac laudandi genere usus Ephraimus, Clementis, qui in illis  
barbaris locis in magna ecclesiæ incrementa vixerat, fidem chri-  
stianam docens, memoriam iustam concelebrat.

Quoniam *stupendum opus Clementis in convertendis populis* in istis  
regionibus barbaris quotannis erat celebrandum, istud *conversionis*  
*opus*, a vivo illo confectum, & ab obitu illius, ad Ephraimi tempora,  
per doctrinam ibi traditam felicissime continuatum, *miraculum sum-*  
*mo appellat jure*, quo *nullum omnino in orbe majus*. Prædictum illud  
*opus* in V. T. per prophetas tanquam *opus dei plane extraordinarium,*  
*inauditum, grande, insolitum, humanis consiliis ac viribus longe superius.*  
*Gentes* ab idolis ad deum *converti*, ex tenebris in lucem emergere,  
ab ignorantia ad veritatis cognitionem venire, a sceleribus ad vir-  
tutem, ab omni iniquatione ad summam puritatem, a morte in  
vitam prodire & vivere in æternum, *opus visum prorsus impossibile.*  
Prædictio igitur prophetica *de gentium conversione* summis miraculis  
plena



plena. Stupebant judæi, quando christus vel verbulo hoc divinum opus prænunciabat. Stupebant ipsi Apostoli & in magno adhuc Hierosolymitano concilio, *gentes ad fidem converti, mesia regno associari*: Adeo, ut Paulus esset divina manu ad hoc opus omnium miraculosissimum pertrahendus, & velut fulmine adigendus. *Orsu hoc perexcellens negotium Paulus, inter innumera & insuperabilia obstacula, gentibus ad christum undiquaque conversis.* Hoc opus vere divinum Paulus in omnibus epistolis inexplicabili potentia & gratia divina acceptum fert, cujus se instrumentum existere toto pectore gavissus.

A Pauli obitu, cum per orbem passim doctrina christiana caput efferret, inter persecutiones dirissimas, *crevit fides inter gentes, ut mundus evaderet novus.* Quod vere miraculosum dei opus & in N. T. a Johanne inprimis *novæ creationi* assimilatur, quæ ut in singulis creditibus efficitur, ita præcipue *in totis populis*, a deo plane averfis, quales gentes erant. Deo fieri carissimos, qui deum ignorabant, deo proximos, qui ab eo longissime alieni; sanctissimos fieri, qui improbissimi antea, *verissima miracula, omnibus physicis externis portentis majora ac digniora.*

Hoc igitur excellentissimum in toto orbe opus, gentium convertendarum, & per Clementis doctrinam in istis oris conversarum, effigietur pro justo & apto in feria elogio publico, *gens appellat vastum mare*, quæ figura in veteri & novo testamento solemnis. *Inquietum mare*, Clemente illi inferto, *scissum*, ut ficcus pateret ad commean- dum fundus omnibus illius regionis populis. *Idololatria gentium*, irreligiositas, inquietudo, animorum & mentium fluctuatio, verbi per Clementem prædicati opere & virtute dissipata, disjecta, cessarunt in illis terris barbaris longe lateque, uti *vivo Clemente, ita & ab obitu ejus*, eadem doctrina perseverante. Qualis *vis verbi illo vivo, talis & illo defuncto*, admirabilis semper inter gentes fructus & effectus, in conversis & convertendis. *Fides, & quies, tranquillitas animorum, pax & caritas mutua in conversis gentibus, exsiccatio mari simile, fluctibus remotis, humo sicca, via regia.*

Quoniam *hujus memoria quotannis aliquot diebus celebrata & renovata*, doctrina illa Clementis illo nomine velut resuscitata. effigies Clementini fati *scissum quotannis pinxit mare*, quod in illa publica recollectione Clementis, memoria recoleretur *conversionis gentium in illis terris, opus illustre.* Memoria renovata renovata maris scissione adumbrata,  
haud

*band aliter acsi quotannis illo ipso die, quo Clementis opus verbi repeteretur, illud etiam mare de novo scinderetur. Scissio maris repetita, imago renovata gentium conversionis. Per tria, plura, multa milliaria ficcatum mare, verbo circumquaque in istis locis facta per multa milliaria ad fidem christianam conversio.*

In fundo maris *adificium, templum, ex pretioso lapide, marmore, fuscitatum divina manu, prodigio stupendo: Inter gentes istas Ecclesia christiana dei gratia & providentia fuscitata. Qui stylus itidem Christi & apostolorum, inprimis Pauli. Cætus credentium & fide imbutorum in imagine templi; cujus lapides pretiosi. Marmoris mentio ex marmoris isto in loco copia. Paulus in epistola ad Ephesios templum tale, ex gentibus præcipue compositum, delineavit a fastigio ad imum fundum, per latera & commissuras. Et hoc Ephraim in enigmate templum, in fundo maris, inter medias gentes: templum marmoreum, ex fidei & virtutum pretio, ex verbi divini præstantia.*

In templo illo *loculus saxeus Clementis: Memoria Clementis in istis ecclesiis incorruptibilis. Reliquia illius, doctrina quam professus erat, quæ in istis ecclesiis in gentium conversarum pectoribus salva & perennatura. Repetere memoria publice die solenni Clementis opera præclara, convertendis illis gentibus edita, est salutare solemniter reliquias Clementis.*

Additur in enigmate, negatum fuisse oraculo tollere corpus ejus: Quod est grave monitum Ephraimi, *nullam habendam esse rationem corporis Clementis, ne qua ulla idololatriæ oriretur species in tali Clementis festo: Sufficere salutasse reliquias, meminisse operum ejus reliquorum aut superstium, factorum ejus in docendo ac instruendo.*

Primum hoc miraculi insigne, *pro anniversaria miraculosa conversionis recordatione. Par ratio & alterius circa puerum casus, qui majoris fere miraculi exemplum præ se ferat. Puer aut filiolum, cum parentibus in fundo maris ad Clementis reliquias comeans in templo marmoreo, imago est cujusdam, in peninsula illa vel in ipsa ArchiEpiscopi sede urbis Chersonesi cætus aut populis. Hujus ad christianam fidem conversio emblemate isto eleganter effigiata. Uti vicinæ gentes conversæ doctrina clementis, illo vivo & post obitum, ita & Chersonis cives ipsi ab idolis ad deum conversi. Parentes filioli, gentes præeuntes, cives seniores, unde juniores, cives tunc præsentis orti. Quomodo parentum character apud omnes veteres etiam historicos,*  
de

de populi genitoribus adhibetur. Conversi nuper *cives Chersonesi civitatis* genuere prolem similiter christianae doctrinae participem. Quomodo parentes cum filio ad Clementem properarunt in mediis maris faucibus, undis recedentibus, *paganismo relicto*, superstitione priore quae gentes omnes inundaverat abjecta.

Hujus *conversa civitatis*, & in fide christiana liberorum factae institutionis & educationis *memoria quotannis repetita* festo clementis. Manfit *filii* in templo isto marmoreo ad Clementis reliquias. Emblemata *constantia in fide Christiana*, apud *civitatis sobolem aut civitatem juniorem* vel cives praesentes. Commendata hac effigie pietas civium in deum, amor in veritatem & christianam rem, sinceritas in religione doctrinaque agnita: *Qui in ecclesia a Clemente fundata permanerint & permanserint*, nullis modis a veritate & virtute abstrahendi. Qui non solum in festo illo anniversario profiteantur fidem, sed & dein toto anno sive indefinenter promissa servant, *in fide perseverantes*. Atque haec illa *anni integri mora apud Clementem in fundo maris*: Perseverantia inquam in civibus laudata, qui ad idola aut irreligiositatem aut improbitatem non essent reverfuri toto anno sive per totam vitam. *Servatus ibi puer: Salva civitas & a periculis immunis*, divina providentia, *ne tyrannide nova ad idola reverti cogerentur*. Quae *tranquillitas publica*, & in christiana professione pax & quies, effigiata *longa illa anni totius spatii pueri conservatione*, tum in vita, tum ab aliis periculis. *Abelluarum praesertim ac monstrorum marinorum injuriis liber*, servatus salvus & sospes: effigie *hostium, persecutorum*, qui velut bruta maris ruant in hominem in undis harentem, dentibus in eum acutis.

Haec tranquillitas, vita, quies, *pax publica ecclesiae Chersonesi*, designata in puero illo devoto in latere Clementis *servato*. Haec civitatis beatitudo ab Ephraimo ArchiEpiscopo tam appositis & concinnis emblematibus effigiata, ac civitati libello commendata.

Hoc gaudium parentum de filio per Clementem tam mirabiliter servato, quin & ibidem *enutrino & alio*: Pro symbolo, *deum servasse, & servare civitatem*, tueri, defendere, alere ac enutrire cives in fide perseverantes, ut salvi vivant & incolumes. Obliqua inprimis haec *admonitio, memores sint cives caritatis communis & beneficiorum mutuarum, praesertim in pauperibus conservandis ac alendis*. Quomodo ad largitionem eleemosynarum haec adhortatio penetrans, pro statu civitatis,

Et hæc in imo maris fundo ad Clementis latus conservatio pueri per integrum annum, tantum pronuntiatur ab Ephraimo miraculi Clementini momentum, ut nullum in orbe exstiterit miraculum majus. *Quid, inquit, cum his conferemus? Etiam ajunt olim filium mortuum matri propriè viventem reddidisse: Quod & magnum est & valde admirabile. Sed & referunt, ad Elifai aliquando sepulcrum quendam ab aliquibus homicidiis interentum ac in eo projectum, statim resurrexisse: Quod priore majus est atque mirabilis. Et vero inter eos, qui ad nos pertinent, Petrus, apostolorum vertex, illam pauperum altricem viduam, Tabitham mortuam, eadem hora precibus suscitavit ad vitam. Hæc equidem mirabilia sunt & longe clarissima. At præsens miraculum quantum ea exsuperat? Considera miraculi excellentiam. Elias quidem modo mortuum puerum, qui nunc nondum refrigerat, sed adhuc naturæ calorem conservabat, suscitavit. Elifai autem virtus duabus de causis miraculum perfecit: Una quidem ostendens prophetam, qui ignorabatur, alia vero, non concedens eadem etiam post mortem. Petrus autem sua virtute & precibus eorum, qui a vidua beneficio fuerant affecti, sumptis in auxilium, ipse quoque eam modo defunctam resuscitavit. At sanctus martyr Clemens, o miraculum! non mortuum recen-tem, sed annum, vel ut melius dicam, eum qui unoquoque momento cuiusque tenuissima parte moriebatur, puerum conservavit. Et scitis omnes, qui rei periculum fecistis, quanto tempore verosimile sit puerum in profundo tam vestro conservari. Verum mihi diligenter consideranti, non unum mortuum, sed quanto temporis spatio scimus puerum in aqua suffocari, id tempus repetentes, eaque intervalla remetientes, invenimus tot mortuos a sancto fuisse suscitatos. Quodque est admirabilius, non ab aquarum duntaxat suffocatione, sed & a bestiarum læsione puerum tutatus est. O virtutem, qua utraque ostendit, & aqua compedes & belluarum propulsationem. Ad hæc quid dicitis! Nonne hoc miraculum alia superat? Nisi quis nos male accuset, qui illud supra miracula prophetica extollamus.*

Quod miraculi præconium, & exaggeratio sublimis, redundat in conversionem Chersonensium illorum & vicinorum Thracum aut Scytharum ad fidem christianam, ut & conservationem illorum ab immanibus persecutionibus ac vitæ discriminibus. Siquidem hæc miraculosa vere & summo gradu, Conversos esse populos ab idolis ad deum, conversos conservatos esse etiam in ipsis martyris in fide, plus quam miracula vetera omnia, prophetarum & apostolorum. Hanc verbi potes.

potentiam & virtutem in tam duris barbaris populis, emblematis his pingit & evehit ArchiEpiscopus. Comparationem conversionis cum resurrectione ex mortuis, pro pari operum magnitudine, ipse Paulus adhibuit in epistola ad Romanos, dicens, si convertantur gentes mortuae in peccatis, si & convertantur Judaei utidem mortui per legem, haccine inquit beatitudo par aut major resurrectione mortuorum? Ut est revera vel cujusvis hominis vera conversio, vera animi pectorisque immutatio, a scelere ad virtutem transitus, omni miraculo majus & difficilius sed & excellentius opus. Quamobrem Ephraimus vere hanc Clementis doctrinam, ejusve pro effigie reliquias, tantopere extollit, ut miranda magis inter gentes opera effecerit, quam Prophetarum vel maxima miracula.

Hic Ephraimi in effigiando, adumbrando, atque emblematis & figuris signando, animus in isthac oratione, satis clare pellucet, ex applicatione, dum omnes illos colores in suum auditorium presentemque Chersonensium cœtum transfert, eundem illis figuris descriptum & admonitum esse significans.

Primum, pro arte dicendi & profopopoeia fueta, Clementem compellat, rogatque, conservet in fide Chersonenses civis: Quod est votum, doctrinae Clementis conservanda, cum certa spe salutis illorum. In illa oratione ad Clementem superioribus palam utitur figuris ad cœtum illum jam translatis. O martyr, inquit, splendor, & sanctorum decus, primitia hierarchiarum, vide hunc & nunc presentem cœtum, pium & dei amantem, qui a vita fluctibus quotidie submergitur, tuis precibus illesum custodi & serva incolamem, ac demones, qui instar ferarum immanium insiliunt, animaque nobilitatem devoratuos se esse minantur, intercessionum jaculo expellas, o sanctissime!

Nostrum hic non est veterum profopopoeias a recentiore sanctorum invocatione distinguere; nobis sufficit, Ephraimum ista compellatione oratoria idem de suo cœtu pronunciare, quod antea in effigie dixerat de puero.

Deinde & cœtum Chersonensium compellans, animo ad fidem & virtutem illos exhortandi, iterum in illas collimat figuris. Et vos, fidelissima congregatio, huc agite mihi, obsecro: Per bona deoque grata opera nos dignos sancti gratiis ac donis efficiamus. Et primo quidem caritatem erga deum, & inter nosmet ipsos sinceram ac imperturbatam servemus, deinde ab omni maledicto, omni mendacio, omni perjurio, nos repurgemus.

Neque hic explicare Ephraimum instituimus, quo sensu & scopo, Clementis quibusdam donis videatur Cherfonensium tribuere in fide constantiam, quando pro dicendi decore veteres formulis interdum usi, quæ ad personas & eorum opera videantur referri, quæ spectent ad eorum doctrinam, adeoque ad *verbum divinum, cuius talis effectus*: Quemadmodum imperita posteritas imprudenter & nonnunquam irreligiose majorum formulis salubrioribus per ignorantiam abusa.

Uti in effigie puerum dixerat in undis a Clemente enutritum, ita ad eleemosynas dandas illam imaginem porro deducit Ephraimus: *Ante hac vero & posthac eleemosynam faciamus, quæ & magis scit deum placare ac propitium reddere peccatis nostris. Quis enim ejus oblitus, regnum dei possederit? Nemo nostrum pretercat pauperiorem, nec viduitatem, nec liberorum educationem, frigidam has pernitiosasque excusationes.* Quod argumentum fufius prosequitur.

Hoc illud Clementis, *immane & incomparabile* vocatum miraculum, ab Ephraimo celebratum, non profecto physicis externis effectibus, sed moralibus significationibus. *Imagines & emblemata maximarum in ecclesia rerum.* Cujus indolis prægrandia miracula, non tam factis quam ideis & simulacris, *in patrum primorum rebus* passim sunt obvia; Quæ si liberentur a ruditate crassi operis & effectus, reddanturque suis effigiandi scopis & moratis doctrinis, intolerabilis posterorum & irreligiosa superstitio cessabit, qui nude, crasse, ruditer, talia a patribus primis pronunciata aut effigiata accipiendo, tradendo, ac idiotis & plebejis hominibus inculcando, ex hominibus bruta reddunt, stupida, sensu communi destituta. *Seculorum præcorum genius liberalior, artis dicendi usu,* noluit suis illis simulacris oratorum simulacra condere superstitutionis & fascino. *Ignorantia orationis, & virtutis illius,* lectores ac velut spectatores, fascino, ut talia stupeant, instar pecorum, sine mente & sensu, integro rationis usu abjecto, Dei, verbi, & sanioris doctrinæ christianæ immemores.

Clementi I. nos jam fecisse satis existimabimus, qui tantum abest bonis literis fuerit adversus, ut nobis potius valde sit propitius, nobiscum sentiens ejusdem nobiscum animi & sententiæ, *solum verbi aut scripturæ vim ac dignitatem esse in docendo attendendam, citra traditionum admiscendarum & commentariorum adfiscendorum fucum,*

Script. A. 1719. d. 14. Octobr.



154892

ULB Halle 3  
005 301 300  



sb.

v. 18


R

VB17









15

# ELEGANS CLEMENS I.

primo seculo bonarum in  
ecclesia literarum assertor, primus Thra-  
cum & Scytharum in Chersoneso Taurica ad  
Pontum Euxinum Trajano Cæsare  
epifopus, martyr.

Cujus mira ab obitu fata, ab Ephraimo  
Chersonis ArchiEpiscopo ænigmatibus  
& symbolis nitide de-  
scripta,

*humaniorum literarum ope*  
illustravit

A. MDCCXIX. mense Octobri

**HERMANNUS von der Hardt/**

Academiæ Juliæ Senior

& Præpos. Mariab.

---

*Helmstadt,*

Typis SALOMONIS SCHNORRIL.

ANNO MDCCXIX.

(II.)

7-15

